

1440
*Stephanus
 Contareus
 in Benaco
 navali pu-
 gna hostem
 superat.*

illius spiritus non parum, res in Benaco a Contareno ali-
 quanto antea prospere gesta. Is, ut diximus, classi, quam
 Turbulis instruendam Patres miro studio curarant, fuerat
 præfectus: & jam triremes pleræque cum aliis navigiis in
 lacum erant deductæ. De longarum navium numero pa-
 rum inter auctores convenit: Ariminensis Papius quatuor
 fuisse ait: sex Lagisianus Veronensis: Montanus dimidio
 pauciores. Nec qua parte lacus sit pugnatum, omnino
 constare video: quidam ex Ripa solvisse hostes tradide-
 runt, atque non procul a Turbulano portu dimicatum:
 alii inter Ponalis ostium & Ripam: non desunt qui Phi-
 lippi classẽ vento & fluctibus adversis ex Piscaria profe-
 ctam, Venetæ medio lacu occurrisse dicant. Illud vero
 omnes affirmant, naves longe plures tum hostem, quam
 Venetum habuisse, quibus Blasius Aferetus Genuensis præ-
 erat, homo rei maritimæ peritissimus, & cum eo plures
 Ligustici nominis viri, navalibus præliis assueti. Italus
 Forojulianus classẽ militibus ornaverat: Contareus Pe-
 trum Brunorium cum lectissimo peditatu secum habebat.
 Dum igitur ad Ripam Italus stationem haberet, ac non-
 nunquam in procinctu ante Turbulas classẽ explicasset,
 cum Veneto, si pugnandi copia facta esset, dimicaturus,
 paucitati navium ille diffusus pertinaciter pugna abstinue-
 rat. Demum vero quatuor (nam Papium hoc quoque lo-
 co, ut in multis, libenter sequor) triremibus, & cum
 iis diversi generis navibus plerisque instructis, audacior fa-
 ctus, conspiciens ad hæc, Benacum contrario hostibus
 vento agi, ad eos irritandos triremem immisit unam ad-
 versum navigia duo commeatu & armis plena, quæ Ri-
 pam oppidum cursum intenderant. Eam ubi in suos ire
 hostis ex proxima statione vidit, ut illis auxilio esset, in
 Venetam confestim movet. Nec Contareus in tanto dis-
 crimine desedit; sed subito portu egressus, ferociter in
 hostem vadit. Et quanquam magnopere properatum esset,
 parum tamen abfuit, quin Italus triremi illa potitus sit,
 quæ alias præcesserat. Sunt etiam qui dicant, in hostium
 potestatem ante redactam, quam subveniri potuisset. Sed
 ubi